# DE ARISTOTELIS CASU ET CONTINGENTI.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS IN ACADEMIA ERIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE
IMPETRANDOS D. XXVIII. M. MAII ANNI MDCCCLXVI.
HORA XII PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**G. HEYNE**
BROMBERGENSIS.

**ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:**

HOCH, STUD. Ph.
PLUENTKE, STUD. Ph.

HALIS SAXONUM.
FORMIS F. FISCHERI BROMBERGENSIS.

JULIO WENKEO

AERARIO MERCATORUM BROMBERGENSI

PRAEFECTO

TUTORI BENIGNISSIMO, VIRO OPTIME

DE SE MERITO

PII GRATIQUE ANIMI

HASCE PAGELLAS

TESTES ESSE VOLT

AUCTOR.

## §. 1. Quid Aristoteles in libro de interpretatione inscripto de fortuito statuerit.

Aristoteles in libro de interpretatione inscripto de fortuito nonnulla disputavit, quibus cavere studet, ne quis, propositiones esse oppositas ratus, quarum altera non idem affirmat, quod altera negat, falsis de rebus opinionibus implicetur, omneque fortuitum e rebus tollendum esse opinetur. Pro diversa enim enuntiandi ratione affirmationem negationi, negationem affirmationi opponi satis constat. Sed in his propositiones contrarie oppositae a contradictorie oppositis distinguendae sunt (ἐναντίως ἀντικεῖμεναι — ἀντιφατικῶς ἀντικεῖμεναι).

Quum enim propositiones ita sibi oppositae sunt, ut altera affirmet, quod altera neget, altera neget, quod altera affirmet, contradictione oppositae dicuntur (cf. quae Trendelenburg ad § 10 elem. log. adnotavit); quum vero altera alterius non solum est mera negatio, sed etiam novi aliquid affirmat; contrarie oppositae dicuntur. Qua ratione contraria a contradictoria differat oppositio intelligitur ex Aristotelis cat. 6. τὰ πλεῖστον ἀλλήλων ἐν τῷ αὐτῷ γένει διεστηκότα ἐναντία ὁρίζονται, ἀντιφάσεως μὲν οὐδέν ἐστι μεταξύ, τῶν δὲ ἐναντίων ἐνδέχεται. Quae autem sint maxime distantia eodem genere (τὰ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα ἐν τῷ αὐτῷ γένει), Aristoteles ipse exemplis illustrat, sanitatis et morbi, albi et nigri. Neque haec contraria in alia re cerni possunt quam in substantia, quae ad contraria recipienda, quamvis nunquam eodem tempore, aptissima esse videtur. Fuerunt quidem, qui idem orationis esse dicerent, sed nulla alia causa adducti, quam quod orationem rebus determinari omittebant; quum propter id ipsum non tam oratio, quam substantia ad contraria recipienda nata esse videatur. Quam ob rem Aristoteles substantiam δεκτικὴν τῶν ἐναντίων appellat. cf. cat. 5. p. 4 a 11 μάλιστα δὲ ἴδιον τῆς οὐσίας

δοκεῖ τὸ ταὐτὸν καὶ ἓν ἀριθμῷ ὂν τῶν ἐναντίων εἶναι δεκτικόν· οἷον ἐπὶ τῶν μὲν ἄλλων οὐκ ἂν ἔχοι τις τὸ τοιοῦτον προςενεγκεῖν, ὅσα μή εἰσιν οὐσίαι, ὃ ἓν ἀριθμῷ ὂν τῶν δεκτικὸν ἐναντίων ἐστίν, οἷον τὸ χρῶμα· ὃ ἐστιν ἓν καὶ ταὐτὸ τῷ ἀριθμῷ, οὐκ ἔστιν λευκὸν καὶ μέλαν· οὐδ᾽ ἡ αὐτὴ πρᾶξις καὶ μία τῷ ἀριθμῷ ἔσται φαύλη καὶ σπουδαία ῳςαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, ὅσα μή εἰσιν οὐσίαι. In quibus philosophus id premit, quod substantia, quum contraria recipiat, ταὐτὸν καὶ ἓν ἀριθμῷ remaneat, quod de ceteris, quae non substantiae sunt, non potest praedicari.

Si igitur quaerimus, quid sit ταὐτὸν καὶ ἓν ἀριθμῷ proprio et plenissimo sensu eam rem unam dici comperimus, quae numero sit una; cf. metaph. 1016 b. 31 (et quae Bonitz adn.); ubi ἓν καὶ ἀριθμόν idem esse dicitur atque τό καθ ἕκαστον ἓν (cf. et. 999 b. 33). Aristoteles rem unam dici posse censet numero, forma, genere (τὰ μὲν κατ ἀριθμόν, τὰ δὲ κατ᾽ εἶδος, τὰ δὲ κατὰ γένη) numero quidem cujus substantia eadem, forma, cujus notio, genere, cujus categoria eadem sit. Nec non ταὐτόν numero, formae, generi tribui elucet ex Top. I., §. 7 ibique numero unum id esse docemur, cujus plura sunt nomina (ὀνόματά), id est, de quo plura praedicari possunt, res autem est eadem. Substantia igitur ea dicitur, in qua diversae qualitates quaedam (sc. τὸ ἀριθμῷ ἓν vel τὸ καθ᾽ ἕκαστον) ad unitatem rediguntur; substantia enim, quamvis contraria recipiat, ipsa integra servatur.

Ac quum Aristoteles per contraria extremos notionis terminos intellexisse videatur (ponit enim contraria album et nigrum; neque album et flavum); medium inter ea statuas; neque vero ita in contradictoriis oppositionibus; quippe quae rem affirmatam non universaliter tollant. Exempla ponit Aristoteles et contrariae et contradictoriae oppositionis, omnem hominem esse album; nullum hominem esse album; omnem hominem esse album; non omnem hominem esse album; (πᾶς — οὐδείς — πᾶς — οὐ πᾶς).

Pro his, quae diximus, Aristoteles contradictorias esse propositiones dicit universales quidem, neque vero universaliter pronuntiatas (ἐπὶ τῶν καθόλου μὲν, οὐ καθόλου δὲ), ut homo universalis quidem est notio neque vero universaliter pronuntiata, nisi addita particula omnis. Itaque contradictorie opponitur

affirmatio et negatio, quae universale significent, negationi et affirmationi quae non universale significant, contrarie autem, universius affirmatio universius negationi. Ex his propositionibus contrarie sibi oppositis (in quibus *τὸ καθόλου* cernitur) necessitatem illam inesse apparet, quam Aristoteles notioni universali tribuit.

Itaque quidquid de universali notione praedicatur universaliter, illis necessario inesse debet. Neque vero ita in propositionibus contradictorie sibi oppositis; utrumque ex his veritati non repugnat, hominem esse album et hominem non esse album.

Restat autem, ut quaeramus, quo modo necessarium in propositionibus, quae de singulis rebus enuntiantur, appareat. Si quis dicit, aliquid fore, alter vero id negat, necesse est, si omnis affirmatio aut negatio aut vera aut falsa est, alterum eorum vere dicere cf. de interp. 8. 2. *εἰ γὰρ πᾶσα κατάφασις ἢ ἀπόφασις ἀληθής ἢ ψευδής καὶ ἅπαν ἀνάγκη ὑπάρχειν καὶ μὴ ὑπάρχειν, ὥςτε εἰ ὁ μὲν φήσει ἔσεσθαί τι, ὁ δὲ μὴ φήσει, αὐτὸ τοῦτο δῆλον, ὅτι ἀνάγκη ἀληθεύειν τὸν ἕτερον τούτων: εἰ πᾶσα κατάφασις καὶ ἀπόφασις ἀληθὴς ἢ ψευδής.*

Si verum est dicere quod album est aut quod non album est (*εἰπεῖν ὅτι λευκόν* et *εἰπεῖν ὅτι οὐ λευκόν*) necessario aut album aut non album est. Sed hac ratione omne fortuitum tolli facile intelligitur. Nam si concedis ex duabus propositionibus alteram veram esse debere; postquam statuisti, quo modo res se habeat, in mille annos ita se habebit. Ac quum nihil intersit, te vere judicasse necne, quum res uno et aeterno quasi flumine volvantur, judicii tui nulla ratio habenda est. Cui sententiae peritia maxime obstat, qua nostrum esse intelligimus aut facere aut evitare aliquid.

Itaque dubium est, num sententia a qua profecti ad hanc conclusionem pervenimus, vera sit cf. de interp. 9. *τὸ μὲν οὖν εἶναι τὸ ὄν, ὅταν ᾖ, καὶ τὸ μὴ ὄν μὴ εἶναι, ὅταν μὴ ᾖ, ἀνάγκη.*

Aristoteles hoc loco rebus praesentibus necessitatem quandam tribuit; quum enim aliquid est, id esse tale, quale est, necesse est. Neque vero propterea omnia necessaria sunt qualia sunt (cf. Waitz 9263) cf. ib. *οὐ μὴν οὔτε τὸ ὂν ἅπαν ἀνάγκη εἶναι οὔτε τὸ μὴ ὂν μὴ εἶναι· οὐ γὰρ ταὐτόν ἐστι τὸ ὂν ἅπαν εἶναι ἐξ ἀνάγκης· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ μὴ ὄντος εἶναι μὲν*

*ἢ μὴ εἶναι ἅπαν ἀνάγκη καὶ ἔσεσθαι ἢ μή. οὐ μέντοι γε διελόντα γε εἰπεῖν θάτερον ἀναγκαῖον.*

Itaque quae sunt ea necessaria esse concedit; sed minime tanta necessitas rebus inest, ut aliter se habere nequeant. Pariter in iis quae non sunt, res se habet (quod in voce *ἐπὶ τῶν μὴ ὄντων* Aristoteles ea tantum respicit, quae *ἐπὶ τῶν ὄντων* praecesserunt cf. W. b. 3.) Quod quum ita sit necesse est, alterum ex iis aut affirmationem aut negationem fieri neque vero alteram ab altera dirimenti alteram vel alteram veram pronuntiare tibi licet. In his igitur Aristoteles redit ad ea, quae cat. 5. exponit orationem rebus determinari nec vice versa. cf. ib. *ὥστ᾽ ἐπεὶ ὁμοίως οἱ λόγοι ἀληθεῖς, ὥσπερ τὰ πράγματα, δῆλον, ὅτι ὅσα οὕτως ἔχει, ὥστε, ὁπότερ᾽ ἔτυχε, καὶ τὰ ἐναντία ἐνδέχεσθαι, ἀνάγκη ὁμοίως ἔχειν καὶ τὴν ἀντίφασιν· ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῖς μὴ ἀεὶ οὖσιν ἢ μὴ ἀεὶ μὴ ὄντων.*

Contradictio igitur pariter iis se habet, quae contraria admittunt; quod manifestum est in iis rebus, quae neque semper neque semper non fiunt. Qua explicatione id significatur, necessitatem, quae rebus inest, ab absoluta necessitate distinguendam esse. Jisque quae diximus, fortuiti explicationem quandam inesse, facile est visu. Quodsi contradictio in iis, quae non absoluta necessitate sunt, contraria admittit in iisque fortuitum cernitur, fortuitum in iis conspiciatur, necesse est, quae neque semper neque semper non fiunt.

## § II. Quid Aristoteles in physicis de fortuito statuerit.

Aristoteles in physicorum libro secundo a naturae explicatione orditur; ut ipsa *φύσεως* vox actum indicat analogia substantivorum e futuro tempore derivatorum (cf. Met. IV, 4), ita res naturales eae dicuntur, quibus principium movendi innatum est cf. ph. II. 1 §. 23 *τὰ μὲν γὰρ φύσει ὄντα πάντα φαίνεται ἔχοντα ἐν ἑαυτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως, τὰ μὲν κατὰ τόπον, τὰ δὲ κατ᾽ αὔξησιν καὶ φθίσιν τὰ δὲ κατ᾽ ἀλλοίωσιν· κλίνη δὲ καὶ ἱμάτιον καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἄλλο γένος ἐστίν, ᾗ μὲν τετύχηκε τῆς κατηγορίας ἑκάστης, καὶ καθ᾽ ὅσον ἐστὶν ἀπὸ τέχνης, οὐδεμίαν ὁρμὴν ἔχει μεταβολῆς ἔμφυτον, ᾗ δὲ συμβέβηκεν αὐτοῖς λιθίνοις ἢ γηίνοις εἶναι ἢ μικτοῖς ἐκ*

*τούτων, ἔχει κατὰ τοσοῦτον· ὡς οὔσης τῆς φύσεως ἀρχῆς τινος καὶ αἰτίας τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτό καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς.*

Res singulae non quatenus ad categoriam quandam cadunt aut arte fabricatae sunt, sed quatenus ex elemento aliquo constituuntur naturales dicuntur; ut vestis non naturalis dicenda sit, quatenus forma affecta est, propter quam vestis appellatur, sed quatenus e re constituitur, quae natura nata est. Sic natura principium et causa movendi et quiescendi esse apparet, in quo invenitur primarie (*πρώτως*) per se (*καθ' αὑτό*) neque per accidens (*μὴ κατὰ συμβεβηκός*).

Aristoteles hoc loco adverbia cumulasse videtur, ut, quid sentiat planum fiat. *Πρώτως* quidem id significare constat, quod ex ipsa rei natura ita efficitur, ut nulla alia res requiratur, quae intercedat inter causam efficientem et id quod efficitur. Similiter adjectivi *πρώτου* vocem saepe ita usurpari invenimus, ut *πρώτη οὐσία* ipsam naturam rei, qua, quid sit ipsa res, definitur, significet (cf. Waitz 16a. 6).

Quid autem *καθ' αὑτὸ* et *μὴ κατὰ συμβεβηκός* significent, difficilius sit expositu. Ex generibus *τοῦ καθ' αὑτό* quae Aristoteles enumerat, quartum hic pertinere intelligitur ex an. post. I. 4. §. 6 *ἔτι δ' ἄλλον τρόπον τὸ μὲν δι' αὑτὸ ὑπάρχει ἑκάστῳ καθ' αὑτό, τὸ δὲ μὴ δι' αὑτὸ συμβεβηκός· οἷον εἰ βαδίζοντος ἤστραψε συμβεβηκός· οὐ γὰρ διὰ τὸ βαδίζειν ἤστραψεν ἀλλὰ συνέβη, φαμὲν τοῦτο· εἰ δὲ δι' αὑτό καθ' αὑτό, οἷον εἴ τι σφαττόμενον ἀπέθανε καὶ κατὰ τὴν σφαγήν, ὅτι διὰ τὸ σφάττεσθαι, ἀλλ' οὐ συνέβη σφαττόμενον ἀποθανεῖν.* Quod propter se ipsum rebus inest, id per se ipsum inesse debet. Quod autem non propter se ad res pertinet; id rebus accidere dicimus; ut si aliquo ambulante fulminavit; id non propterea fieri apparet, quod homo ambulabat. Qua re, quum fulminationem minime causali nexu cum ambulanti homine conjunctum esse videamus, eam accidere dicimus. Contra si animal caesum moritur, nemo est, qui mortem animalis accidisse affirmaverit. Nam ipsa animalis mors in caedendi actione, quae praecesserat, ita posita erat, ut alteram ex altera sequi necesse esset. cf. top. 116a 29 *καὶ τὸ δι' αὑτὸ αἱρετὸν τοῦ δι' ἕτερον αἱρετοῦ αἱρετώτατον, οἷον τὸ ὑγιαίνειν τοῦ γυμνάζεσθαι, τὸ μὲν γὰρ δι'*

*αὐτὸ αἱρετόν, τὸ δὲ δι᾽ ἕτερον καὶ τὸ καθ᾽ αὐτὸ τοῦ κατὰ συμβεβηκός· οἷον τὸ τοὺς φίλους δικαίους εἶναι, τοῦ τοὺς ἐχθρούς.* In his opponitur sanitas exercitationibus corporis, quae quum in id tendant, ut corpus bona valetudine utatur, propter aliud optabiles esse dicuntur; praestantius id autem, propter quod eligantur, sc. sanitas.

Tum praestare dicitur, amicos justos esse, quam inimicos. Alterum enim propter ipsum optabile est, alterum per accidens, quum inimicos justos esse, propterea tantum eligas, ne tibi noceant. Contra amicos, quamvis in India vel in remotissima terrae parte versentur, justos esse optabis, etiamsi nullum inde ad te commodum redundaverit.

Ex his *καθ᾽ αὐτὸ* simili sensu atque *πρώτως* hic usurpari invenimus, quo sensu id significat, quod ex ipsa rei natura ita sequitur, ut nulla alia re, ad quam referatur, indigeat. Pro hac *τοῦ καθ᾽ αὐτο* vi Aristoteles, amicos nostros justos esse, in ipsa nostra natura ita positum esse censet, ut ea ipsa optimum quodque de iis sentire cogamur. Sed quum, *καθ᾽ αὐτὸ* ita *τῷ κατὰ συμβεβηκός* oppositum esse videatur, ut alterum affirmative exprimat, quod alterum negative, explanatio *τοῦ κατὰ συμβεβηκὸς* alteram expressionem nobis planiorem reddere debet. *Συμβεβηκότος* vocem ab Aristotele diversissimo sensu usurpari, ex iis, quae Trendlenburgius ad an. I. 1. adnotavit, facile intelligitur.

Aristoteles *συμβεβηκότος* voce ita utitur, ut tum eveniendi vim habeat, tum casum significet. Quibus incertis finibus *συμβεβηκὸς* ita vagatur, ut, quam significationem ei loco quoque Aristoteles tribuerit, nisi ex sensu intelligi non possit. cf. met. 4. 30. *συμβεβηκὸς μὲν λέγεται, ὃ ὑπάρχει μέν τινι οὐ μέντοι οὔτ᾽ ἐξ ἀνάγκης οὔτ᾽ ἐξ ἐπὶ τὸ πολύ, οἷον εἴ τις ὀρύττων φυτῷ βόθρον εὗρε θησαυρόν* et paullo infra *λέγεται δὲ καὶ ἄλλως συμβεβηκὸς οἷον ὅσα ὑπάρχει ἑκάστῳ καθ᾽ αὐτὸ, μὴ ἐν τῇ οὐσίᾳ ὄντα, οἷον τῷ τριγώνῳ τὸ δύο ὀρθαῖς ἔχειν καὶ ταῦτα μὲν ἐνδέχεται ἀΐδια ὄντα, ἐκείνων δὲ οὐδέν.* Aristoteles igitur hoc loco et ea *συμβεβηκότα* esse dicit, quae in substantia rei non posita tamen per se ipsa rebus insint, ut trigoni notione, angulos duobus rectis aequari, non continetur; sed quamquam id ex ipsa trianguli notione facile colligitur, tamen deductione opus est, sine qua ex ipsa figura proprietatem illam trianguli

nescio an nemo conjecerit. Neque tamen hoc συμβεβηκότος genus minus necessarium esse videtur, quam id ipsum quod rei notioni inest.

Alterum vero συμβεβηκότος genus, ut illud, si non ad substantias, ad necessaria tamen et aeterna spectat, de singularibus rebus praedicatur cf. met. 1025. a. 14. συμβεβηκὸς μὲν λέγεται, ὃ ὑπάρχει μέν τινι καὶ ἀληθὲς εἰπεῖν· οὐ μέντοι οὔτ' ἐξ ἀνάγκης οὔτ' ἐπὶ τὸ πολὺ, οὐδὲ δὴ αἴτιον ὡρισμένον, ἀλλὰ τὸ τυχόν· τοῦτο δ' ἀόριστον· γέγονε μὲν δὴ καὶ ἔστιν συμβεβηκός, ἀλλ' οὐχ ᾗ αὐτὸ, ἀλλ' ᾗ ἕτερον. Accidens vere quidem de re praedicatur, neque vero ut qualitas, quae semper aut plerumque in re spectetur, et cujus sit causa determinata, sed pro cujus causa fortuitum habendum est. Neque accidens ex ipsius rei natura oritur, sed in aliis rebus iisque numero indefinitis positum est. (haec enim significant verba οὐχ ᾗ αὐτὸ, ἀλλ' ᾗ ἕτερον; nam ᾗ αὐτὸ id comprehendit, quod ipsam notionem constituit, ᾗ ἕτερον, quod a notione diversum est.) Qua re nulla συμβεβηκότων disciplina datur; quippe quae numero indefinita sint. cf. 1007a. 14. καὶ γὰρ ἀδύνατον ἄπειρα γ' ὄντα τὰ συμβεβηκότα διελθεῖν. 1026b. 12. ἐπεὶ δὴ πολλαχῶς λέγεται τὸ ὄν, πρῶτον περὶ τοῦ συμβεβηκότος λεκτέον, ὅτι οὐδεμία ἐστὶ περὶ αὐτὸ θεωρία· σημεῖον δέ· οὐδεμιᾷ γὰρ ἐπιστήμῃ ἐπιμελὲς περὶ αὐτοῦ οὔτε πρακτικῇ οὔτε ποιητικῇ οὔτε θεωρητικῇ· οὔτε γὰρ ὁ ποιῶν οἰκίαν ποιεῖ ὅσα συμβαίνει ἅμα τῇ οἰκίᾳ γινομένῃ· ἄπειρα γάρ ἐστίν· τοῖς μὲν γὰρ ἡδεῖαν, τοῖς δὲ βλαβερὰν, τοῖς δ' ὠφέλιμον οὐδὲν εἶναι κωλύει τὴν ποιηθεῖσαν καὶ ἑτέραν ὡς εἰπεῖν πάντων τῶν ὄντων. Ex his, cur accidentia infinita sint numero, maxime apparet. Accidens enim a qualitate quaque, quae rei substantiae inest, non differt, nisi ratione, qua ad substantiam refertur. Veluti si quis domum aedificaverit, sexcenta accidentia ei inesse possunt, prout ali grata, ali utilis, ali inutilis est. Quae accidentia non tam ipsa domus notione continentur, quam in illis hominibus posita sunt. Tum vero fieri non potest, ut accidentis disciplina sit, quod accidens et absolutum et quod plerumque sit, excludit, cf. an. post. I. 30. τοῦ δ' ἀπὸ τύχης οὐκ ἔστιν ἐπιστήμη δι' ἀποδείξεως οὔτε γὰρ ὡς ἀναγκαῖον οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὸ ἀπὸ τύχης ἐστίν, ἀλλὰ τὸ παρὰ ταῦτα γινόμενον. (Quod hic τὸ δ' ἀπὸ τύχης dicitur, idem esse atque τὸ συμβεβηκός

quoniam utriusque eadem definitio datur, intelligitur). Nisi enim propositiones, ex quibus conclusio efficiatur, aut ea amplectuntur, quae semper aut ea, quae plerumque fiunt, fieri non potest, ut ex iis terminus medius fiat. cf. an. pr. I. 13. 32. 6. 18. *ἐπιστήμη δὲ καὶ συλλογισμὸς ἀποδεικτικὸς τῶν μὲν ἀορίστων οὐκ ἔστιν διὰ τὸ ἄτακτον εἶναι τὸ μέσον, τῶν δὲ πεφυκότων ἔστιν.* Accidens et *ἀόριστον* vocari, ex hoc loco perspicuum est; opponitur philosophus *ἀορίστῳ*, cujus causae incertae et indefinitae sunt, *τεταγμένα καὶ ὡρισμένα ἔργα τῆς φύσεως* (778 b. 3.) (cf. 1065 a. 25. *τὸ δ' οὐκ ἀναγκαῖον, ἀλλὰ ἀόριστον, λέγω δὲ κατὰ συμβεβηκός· τοῦ τοιούτου δ' ἄτακτα καὶ ἄπειρα τὰ αἴτια*).

Inde, quod accidentia aliunde suspensa sunt neque ex ipsa re, in qua conspiciuntur pendent, Aristoteles iis omnem generationem abjudicavit. cf. Met. V. 2. *τῶν μὲν γὰρ ἄλλον τρόπον ὄντων, ἔστι γένεσις καὶ φθορά, τῶν δὲ κατὰ συμβεβηκὸς οὐκ ἔστιν.* Quidquid enim generationem et interitum habet, certo principio movendi obtemperat; neque accidentium ullum principium certum dici potest, quum enim res, ex quibus pendent, numero sint, indefinitae, humanum consilium eludunt.

Inde autem quod priores philosophi illud discrimen inter substantiam ejusque accidentia neglexerunt, multorum errorum fuit origo, ut ratione, qua contradictionis legi impugnabant, evidens fit. Quum autem necesse sit, principium verum certum ac stabile ponere, nescio an nemo contradictionis lege, quae postea appellabatur, certius ac firmius statuerit. Plerique autem, qui illi legi adversantur, non tam alia rerum principia ponunt, quam id unum refutare student.

A quibus id postulari posse censet Aristoteles, ut dicendo aliquid significent. 1006 b. 18. *ἀρχὴ δὲ προς ἅπαντα τὰ τοιαῦτα — τὸ σημαίνειν γέ τι καὶ αὑτῷ καὶ ἄλλῳ· τοῦτο γὰρ ἀνάγκη εἴπερ λέγοι τι.* Nisi certi aliquid ponis, quod semper sibi constet, omnis demonstratio tollitur. Nomen igitur necessario hoc esse aut non esse signi ficabit. (*ὄνομα* hic, ut aliis locis *λόγῳ* id est notioni opponi cf. Bon. Met. II. 190) Qua re nomen, quod subjecti locum tenet, unum significabit. (*ἔτι εἰ ὁ ἄνθρωπος σημαίνει ἕν, ἔστω τοῦτο τὸ ζῶον δίπουν.*) Quae vox „significare unum“ ne errores excitet, maxime cavendum est. Nam si dicis, hominem significare animal bipes,

non dicimus, animal bipes de homine praedicari posse, sed qualitatem, quae illa voce exprimitur, ita inesse hominis notioni, ut, quidquid dicatur homo, et animal bipes dicendum sit. cf. 1006a. 32. *λέγω δὲ τὸ ἓν σημαίνειν τοῦτο· εἰ τοῦτ' ἔστιν ἄνθρωπος, ἄν ᾖ τι ἄνθρωπος, τοῦτ' ἔσται τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι.* Nihil enim interest, te plura de eadem re praedicare, dummodo una notione ea comprehendere liceat, id est, si numero sunt finita; indefinita autem, quum ad nullam notionis unitatem redigi possint, neque unum significant.

His statutis, negat philosophus fieri posse, ut idem vere dicatur et esse homo et non esse homo. Qui hoc volunt, confundunt *σημαίνειν ἕν* et *σημαίνειν καθ' ἑνός*, cujus vocis vis ea est, ut ea tantum indicet, quae de eadem re praedicari possunt, ut de homine album musicum alia. Si enim statuis, *σημαίνειν ἓν* idem esse ac *σημαίνειν καθ' ἑνός* inde consequitur ut, quaecunque de una re praedicantur, notione idem sint atque id, de quo praedicentur ac propterea etiam notione substantiali (*κατὰ τὸν λογον τῆς οὐσίας*) idem sint. Sic facile eo pervenimus, ut omnia unum esse contendamus. Sed hanc sententiam si sequimur, nos contradictione implicari, facile apparet. Quodsi duo idem dicis, etiam eorum notio substantalis idem dicenda est, ut, quod initio pro certo posuimus, notionem hominis a notione non hominis diversam esse, ejus contradictionem jam pro vero habeamus, notionem hominis et notionem non hominis idem esse.

Sed etiam alia ratione Aristoteles infitiatores illius principii refellere studet. Quoniam enim illi, quae sibi opposita sunt, idem esse affirmant, cetera vero non ita se habere dicunt, omnia idem esse, facile effici potest.

Namque homo et non homo maxime diversa sunt, quippe quae sibi sint opposita. Quae si idem esse ponis, et, quae minus inter se diversa sunt, idem esse, tibi confitendum est. Cujus opinionis error facile detegi potest, quod enim illi hominem et non hominem idem esse existimant, inde fit, quod interrogati, quid sit homo, quid ei accidat, respondeant. Concedendum est, quaerenti utrum illud sit homo, te respondere posse et esse hominem et non esse hominem; illud si ad notionem hominis, hoc si ad ejus accidentia respicis. Sed praeterquam quod quaeritur quid sit homo, neque utrum illud sit homo, accidentia responsioni immiscere, propterea tibi non licet, quod infinita

enumerare captum humanum excedit. Tum vero illi philosophi, notione substantiali sublata *τὸ ὅπερ ἀνθρώπῳ εἶναι* idem esse affirmant atque *τὸ ὅπερ μὴ ἀνθρώπῳ εἶναι* cf. 1007 a. 23. *εἰ γὰρ ἔσται τι ὅπερ ἀνθρώπῳ εἶναι, τοῦτο οὐκ ἔσται μὴ ἀνθρώπῳ εἶναι ἢ μὴ εἶναι, ἀνθρώπῳ μὴ εἶναι. — εἰ δ᾽ἔσται αὐτῷ τὸ ὅπερ ἀνθρώπῳ εἶναι ἢ ὅπερ μὴ ἀνθρώπῳ εἶναι ἢ ὅπερ μὴ μὴ εἶναι ἀνθρώπῳ, ἄλλο τι ἔσται· ὥςτ᾽ ἀναγκαῖον αὐτοῖς λέγειν ὅτι οὐδενὸς ἔσται τοιοῦτος λόγος, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός.*

Ex his apparet, nisi notionem substantialem rei tollis, opposita idem esse, nullo modo contendere potes. Illa notione autem sublata, omnia accidentia esse, tibi credendum est. Quod quominus ita sit, ipsa *συμβεβηκότος* vis prohibet; quippe quod subjecto, de quo praedicetur, indigere non possit. Nam sine hoc accidentium series in infinitum procedat. Sed duabus tantum rationibus accidens substantiae aut accidens accidenti accidere potest. Altera, quum substantia statim existat, finis praedicandi, accidentia infinita esse non possunt; altera vero non licet plus, quam duo accidentis conjungere. Ut si album musico dicis accidere, id tantum propterea dici potest, quod ad tertium recurris sc. utriusque accidentis subjectum. Neque hoc sensu igitur infinita accidentium series statuitur. Pariter, quod jam diximus hic apparet, nisi substantia statuta ad quam accidens referatur, omne accidens tolli. Quae accidentis et substantiae diversitas nusquam magis conspicua est, quam in sophistarum captionibus, quas ipse Plato circa non ens versari dicit cf. soph. 237. *τετόλμηκεν ὁ οὗτος λόγος ὑποθέσθαι τὸ μὴ ὂν εἶναι· ψεῦδος γὰρ οὐκ ἄλλως ἐγίγνετο ὄν.* In eandem fere sententiam loquitur, Aristoteles cf. 1026 b. 13. *ὥςπερ ὄνομά τι μόνον τὸ συμβεβηκός ἐστιν· διὸ Πλάτων τρόπον τινὰ οὐ κακῶς τὴν σοφιστικὴν περὶ τὸ μὴ ὂν ἔταξεν.* Tum vero exempla affert Aristoteles captionum sophisticarum veluti si quis quaerit, num idem sit album esse et musicum, negabit is, qui ad solam rerum notionem respexerit, affirmabit qui accidentium rationem habuerit, hominem tibi ostendens utraque qualitate affectum, ut in errorem incidere nulla ratione evitare possis. Pariter quaerenti, num, quaecunque sunt, aut aeterna aut facta sint, duplex responsum datur, quo omnia neque facta neque aeterna esse ostendunt. Fuit quispiam antea musicus, qui postea grammaticus factus est. Neque vero musicus semper

grammaticus fuit, neque musicum factum esse grammaticum semper dici potest; namque accidentium nullam generationem esse jam supra diximus.

Hic disputatis restat, ut, quid sit *ἓν κατὰ συμβεβηκός* explicemus. Quod facile intelligas ex met. IV. 6 ubi *ἓν κατὰ συμβεβηκὸς* conjunctionem significare comperimus, quae inter substantiam ejusque accidentia intercedit. Quae conjunctio quadrifaria esse potest. Aut enim unum dicitur substantia ejusque accidens (*Κροῖσος καὶ τὸ μουσικόν*) aut duo accidentia de eodem subjecto praedicata (*τὸ μουσικὸν καὶ τὸ δίκαιον*, quae de Croeso praedicantur) aut substantia conjuncta cum accidenti et substantia simpliciter (*ὁ μουσικὸς Κροῖσος καὶ Κροῖσος*) aut substantia conjuncta cum uno accidenti et substantia conjuncta cum altero (*ὁ μουσικὸς Κροῖσος καὶ ὁ δίκαιος Κροῖσος*). Similiter *ἓν κατὰ συμβεβηκὸς* de notionibus universalibus praedicatur, quum altera alteri aut utraque rei individuae inest (*ἄνθρωπος — μουσικόν;* aut utrumque *Κροίσῳ* inest), alterum quidem ut genus, alterum ut qualitas.

Sed quum haec a proposita quaestione longius nos avocent, jam eo revertimur, unde profecti sumus. Jamque id quaestione dignum nobis esse videtur, quum Aristoteles inter causas absolutas et accidentes distinxerit, unde causae per accidens pendeant, investigare.

Quamquam enim scimus, materia illam opportunitatem praeberi, qua omnia ex necessitate fieri existimare, vetamur, tamen, ut, quid Aristoteles de his sentiat, perspicuum fiat, ad necessitatis genera, quae philosophus statuit nobis descendendum erit.

Aristotelem quadrifariam necessitatem statuisse elicias ex Met. V. I., ubi *τὸ* (sc. *ἀναγκαῖον*) *κατὰ τὴν φύσιν, τὸ παρὰ τὴν φύσιν, τὸ ἐξ ὑποθέσεως, τὸ δ' ἁπλῶς* vel *τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως* necessitatis genera distinguuntur. Ex his necessarium *ἐξ ὑποθέσεως* vel ex hypothesi maxime ad quaestionem nostram cadit. Vocis hypothesis usus primarius in quaestionibus mathematicis invenitur. cf. Met. XII. § 7. *διὸ πρὸς μὲν τὴν ὑπόθεσιν ὀρθῶς λέγουσιν, ὅλως δ' οὐ ὀρθῶς* id est si hoc ponunt recte dicunt, neque vero illo sublato. Tum vero philosophi hypothesis voci in philosophiam translatae eam vim tribuerunt, qua aliquid ex posito aliquo ita sequatur, ut necessarium sit.

Pari ratione Aristoteles *ὑποθέσεις* vel *προτάσεις* esse dicit, quibus conclusio necessaria fiat cf. ph. II. 7. *καὶ οὕτως ἀποδοτέον τὸ διά τί, οἷον ὅτι ἐκ τοῦδε ἀνάγκη τόδε· ὥςπερ ἐκ τῶν προτάσεων τὰ συμπεράσματα.* et paullo infra *αἱ ὑποθέσεις τοῦ συμπεράσματος ὡς τὸ ἐξ οὗ αἴτιά ἐστιν.* Itaque quum philosophus per *τὸ ἐξ οὗ* causam materialem intelligat (de qua postea loquemur), nemo est, quin videat, propositiones materiam quasi dici, quibus conclusio constituitur. Sed haec mittimus, quum id potius agatur, ut, quo modo necessarium *ἐξ ὑποθέσεως* in natura appareat, planum fiat. Aristoteles ea re haud dubie optime de philosophia meruit, quod necessitatem materiae inhaerentem necessitati ex hypothesi subjecit. Namque plerique priorum philosophcrum tantum aberant, ut finem in natura statuerent, ad quem assequendum singulae res dirigerentur, ut omnia ad coecam materiae vim referenda esse putarent. Aristoteles primus rem, quaecunque nascitur, id semper intendere docuit, ut finem suum assequatur. Namque sine hujus causae finalis vi fieri non posse existimabat, ut res quaeque ab imperfecto statu ad perfectionem ducatur. Principium vero finis id statuit, ut, quaecunque in re fiunt, cui finem inesse putamus, propter finem omnia agantur. cf. ph. II. 3. *ἔτι ὡς τὸ τέλος* (sc. *αἴτιόν ἐστι*). *τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ οὗ ἕνεκα· οἷον τοῦ περιπατεῖν ἡ ὑγίεια διὰ τί γὰρ περιπατεῖ; φαμὲν, ἵνα ὑγιαίνῃ, καὶ εἰπόντες οὕτως οἰόμεθα ἀποδεδωκέναι τὸ αἴτιον· καὶ ὅσα δὴ κινήσαντος ἄλλου μεταξὺ γιγνεταί τοῦ τέλους, οἷον τῆς ὑγιείας ἡ ἰσχνασία ἢ ἡ καθάρσις ἢ τὰ φάρμακα ἢ τὰ ὄργανα· πάντα γὰρ ταῦτα τοῦ τέλους ἕνεκά ἐστι, διαφέρει δ' ἀλλήλων ὡς ὄντα τὰ μὲν ἔργα, τὰ δ' ὄργανα.*

Itaque finem si statueris, ex eo, cetera, quae aguntur, pendent, sed diversa ratione. Alia enim propius ad ipsum finem assequendum pertinent; alia, quamvis longius ab eo absint, tamen ut efficiatur, necessario requiruntur.

Itaque quaecunque valetudinis causa vel efficis (*ἰσχνασία, καθάρσις*) vel adhibes (*φάρμακα, ὄργανα*), ea omnia ad causam finalem redeunt. cf. ph. VI. § 4. *ἔτι ἐν ὅσοις τέλος ἐστί τι, τούτου ἕνεκα πράττεται τὸ πρότερον καὶ ἐφεξῆς· οὐκοῦν ὡς πράττεται πέφυκεν καὶ ὡς πέφυκεν, οὕτω πράττεται ἕκαστον ἄν μή τι ἐμποδίζῃ. πράττεται δ' ἕνεκά του· καὶ πέφυκεν ἄρα τούτου ἕνεκα. οἷον εἰ οἰκία τῶν φύσει γινομένων ἦν,*

*οὕτως ἐγίνετο ὡς νῦν ἀπὸ τέχνης· εἰ δὲ τὰ φύσει μὴ μόνον φύσει, ἀλλὰ καὶ τέχνῃ γίγνοιτο, ὡςαύτως ἂν γίγνοιτο, ᾗ πέφυκεν· ἕνεκα ἄρα θατέρου θάτερον. ὅλως τε ἡ τέχνη τὰ μὲν ἐπιτελεῖ, ἃ ἡ φύσις ἀδυνατεῖ ἀπεργάζεσθαι, τὰ δὲ μιμεῖται εἰ οὖν τὰ κατὰ τὴν τέχνην ἕνεκά του, δῆλον, ὅτι καὶ τὰ κατὰ τὴν φύσιν· ὁμοίως γὰρ ἔχει πρὸς ἄλληλα ἐν τοῖς κατὰ τέχνην τὰ ὕστερα πρὸς τὰ πρότερα.*

In his Aristoteles naturam propter finem agere praecipue propterea censet, quod, nulla externa re prohibente, omnia in natura fiunt ac si finis propositus esset, velutac si quidquam eorum quae arte fiunt, natura exstiterit, necessario eodem modo constitueretur.

Sed priusquam haec accuratius consideremus, a re proposita non alienum esse videtur, omnino generationis, quas posuit, philosophus conditiones examinare. In omni generationis genere tria distinguit, quibus generatio efficitur, *τὸ ὑφ᾽ οὗ* id est causa efficiens, *τὸ ἐξ οὗ* id est id ex quo aliquid fit et *τὸ τί* id est id quod efficitur, quodque et ipsum pro diversitate categoriarum distinguitur (sive enim *τόδε* est sive *ποσόν* sive *ποιόν* sive *ποῦ*).

Generationis autem tria sunt genera. Naturales quidem sunt eae generationes, quae natura fiunt, sive respicis ad earum causam efficientem, sive id ex quo fiunt, sive id quod fiunt. Namque forma et materia ita sibi sunt oppositae, ut altera altera indigere non possit omnisque natura tum in materia, tum in forma cernatur. Neque enim materia (*ὕλη, τὸ πρῶτον ἑκάστῳ ἐνύπαρχον*) prius suam naturam habere dicitur, quam formam induerit. (cf. ph. II. 259.) Tum artificiosae generationis id principium est, ut forma ac species sine ulla materiae admistione cogitari possit (*ἀπὸ δὲ τέχνης γίγνεται, ὧν τὸ εἶδος ἐν τῇ ψυχῇ*). Denique generationis spontaneae principium statuitur; si quid ex iis, quae per artem fieri possunt, sponte factum sit, non illa notio, ex qua primum *νόησις* (hac enim voce utitur philosophus, ut ideae conceptionem significet), tum *ποίησις* (id est actio idea determinata) ordiebatur, pro principio habenda est; sed id potius, quod faciendi principium erat (*ἐὰν δ᾽ ἀπὸ ταὐτομάτου* (sc. *γίγνηται*), *ἀπὸ τούτου, ὅ ποτε τοῦ ποιεῖν ἀρχὴ τῷ ποιοῦντι ἀπὸ τέχνης* 1032 b. 23). Itaque quod generatione artificiosa et spontanea efficitur, idem esse potest.

Sed si quis fortuito eo perveniat, ut morbo medeatur, plane tamen ab eo diversus est, qui ex ipsa sanitatis notione quae ad sanitatem parandam necessaria sunt, repperit. Quibus generationis generibus philosophum, quaecunque fiunt, ad certas leges redegisse facile intelligitur.

Neque id effugere nos potest, quod conditiones, quas posuit omnis generationis, a principiis naturae non diversae sunt, quae leguntur ph. II. 3. *ὕλη, εἶδος, τὸ κινοῦν, τὸ οὗ ἕνεκα.* causa materialis, formalis, movens, finalis.

Quo sensu Aristoteles *ὕλην* inter principia numeret, ipse exemplo illustrat aeris, ex quo statua fingitur, argenti, ex quo phiala fit cf. ph. II. 3. *αἴτιον δέ λέγεται ἕνα μὲν τρόπον, ἐξ οὗ γίγνεταί τι ἐνυπάρχοντος, οἷον ὁ χαλκὸς τοῦ ἀνδριάντος καὶ ὁ ἄργυρος τῆς φιάλης καὶ τὰ τούτων γένη* (ea sc. quae genus et aeris et argenti constituunt).

In altera autem causa, quae vocatur *εἶδος* vel *παράδειγμα* id maxime cavendum est, ne eam cum idea confundamus, ad quam Plato singulas res effingi docuerat Aristoteles, quid per *εἶδος* intelligat, eodem loco explicat. cf. ib. sq. *τοῦτο δ' ἐστὶν ὁ λόγος ὁ τοῦ τηε (τί ἦν εἶναι) καὶ τὰ τούτων γένη, οἷον τοῦ διὰ πασῶν τὰ δύο πρὸς ἕν καὶ ὅλως ὁ ἀριθμὸς καὶ τὰ μέρη ἐν τῷ λόγῳ.*

Ad quem locum intelligendum, quid *τὸ τηε* sit, explicandum est. Aristoteles per *τὸ τηε* definitionem rei significat, quatenus accidentium expers est. cf. top. I. 5. *ἔστι δ' ὅρος λόγος τὸ τηε σημαίνων.* met. 1029. *καὶ πρῶτον εἴπωμεν περὶ αὐτοῦ λογικῶς, ὅτι ἔστι τὸ τηε, ὃ λέγεται καθ' αὑτό.*

Quo sensu philosophus hic voce „*καθ' αὑτό*“ usurpet, ipse iis, quae sequuntur, explicat. *Καθ' αὑτό* enim duplici sensu a philosopho adhiberi, hic notandum est, quum aut ea significet, quae ad rei notionem substantialem referenda sint, aut ea, quae in alia re quidem cernuntur neque ejus notionem constituunt. cf. 1022a. 14. *τὸ καθ' ὃ λέγεται πολλαχῶς, ἕνα μὲν τρόπον τὸ εἶδος καὶ ἡ οὐσία ἑκάστου πράγματος, οἷον, καθὸ ἀγαθὸν, αὐτὸ ἀγαθόν, ἕνα δὲ, ἐν ᾧ πρώτῳ πέφυκε γίγνεσθαι, οἷον τὸ χρῶμα ἐν τῇ ἐπιφανείᾳ.* Ad hunc locum Aristoteles respicere videtur, quum dicat 1029b. 14. *οὐ γάρ ἐστι τὸ σοὶ εἶναι τὸ μουσικῷ εἶναι· οὐ γὰρ κατὰ σαυτὸν εἶ μουσικός· ὃ ἄρα κατὰ*

*σαυτὸν, οὐδὲ δὴ τοῦτο πᾶν. οὐ γὰρ τὸ καθ' αὑτό ὡς ἐπιφάνεια λευκόν, ὅτι οὐκ ἔστι τὸ ἐπιφανείᾳ εἶναι, τὸ λευκῷ εἶναι.* Itaque ea tantum, quae ipsa rei notione substantiali continentur ad *τὸ τηε* referenda sunt; neque album, quod in rei superficie cernitur; namque notio albi a notione superficiei toto coelo differt.

Ex his *τὸ τηε* ad generalia pertinere, nemo sit, quin videat. Tamen a *καθόλου* vi ita differt, ut *καθόλου* quidem ea significet, quae e pluribus rebus collecta de unaquaque eorum praedicentur, *τὸ τηε* autem ad certum individuum necessario referatur.

Formam autem Aristoteles notionem *τοῦ τηε* (*ὁ λόγος ὁ τοῦ τηε*) eamque igitur esse describit, quae generales rei qualitates ita reddat, ut idea individuae rei cujusque integra tamen servetur. Sic forma *τῶν διὰ πασῶν* ejus notio substantialis vocatur, id est duo ad unum relata, vel genus, cui notio subjecta est id est numerus vel partes, quibus notio conflatur, id est duo et unum.

Ceteras causas examinaturis id jam nobis occurrit, quod quatuor causarum genera ad haec duo redeunt. Quod ipse Aristoteles confitetur cf. ph. II. 7. *ἔρχεται δὲ τὰ τρία εἰς τὸ ἓν πολλάκις· τὸ μὲν γὰρ τί ἐστὶ καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἕν ἐστι· τὸ δ' ὅθεν ἡ κίνησις τῷ εἴδει ταὐτὸ τούτοις.*

Ut in aliis locis, ita hic causam formalem voce *τοῦ τὶ ἐστὶ* significari apparet; quam Aristoteles eodem sensu usurpat, atque *τὸ τηε*, discrimine tamen aliquo servato.

Nam *τὸ τὶ ἐστὶ* non minus ad causam formalem pertinet quam *τὸ τηε.* Sed quum *τὸ τηε* ideam primariam rei animo cogitatam exprimat, ab omnis materiae admistione immunis esse debet. *Τὸ τί ἐστὶ* autem quum eandem ideam exprimat; ubi materia ad eam jam accessit, et ea necessario comprehendit, quae fortuita magis materiae adhaereant. Aristoteles loco, quem citavimus, id premit, quod tres causae quae materiae opponuntur, quamvis in singulis rebus separatae conspiciantur, si ad intimam earum vim respicis, idem significant.

Nam quum finem eum esse ostenderimus, ex quo cetera, quae fiunt, suspensa sunt, in singulis rebus notionem finalem esse apparet, propter quam cetera omnia aguntur. Tum vero, quod causa movens a forma rei non distinguenda sit, ex principiis, quae posuit Aristoteles generationis, facile intelligitur.

Nam principium generationis artificiosae, ut idea apud animum nostrum cogitata opus praecedat, item ad res naturales pertinet; ut res, quae natura creatur, notione jam antea existat, necesse sit, priusquam illa creetur. Sic homo gigni non potest, nisi hominem gignentem ponis.

His explicatis, id jam nobis non dubium esse potest, quin in consideratione causae materialis et formalis acquiescere possimus. Neque uberius de iis nobis agendum est; quam ut, quo modo formam et materiam omni generationi subjectam esse philosophus censuerit, perspicuum fiat.

Plerosque priorum philosophorum difficultatem, quae in generatione explicanda nobis occurrit, non sustulisse, satis constat; recte enim argumentantur, qui neque ex eo, quod est neque ex eo quod non est, quidquam fieri posse dicunt. cf. ph. I. 7. § 1. *φαμὲν γὰρ γίγνεσθαι ἐξ ἄλλου ἄλλο καὶ ἐξ ἑτέρου ἕτερον ἢ τὰ ἁπλᾶ λέγοντες ἢ τὰ συγκείμενα.* id est aut simpliciter dico; hominem fieri eruditum; aut ineruditum fieri eruditum aut conjunctim, hominem ineruditum fieri hominem eruditum. Sed quamquam diversa enuntiandi rationi uti mihi licet; tamen res ipsa non aliter se habebit. Idque in his tenendum est, quod contrariis, quorum alterum in alterum mutetur, tertium aliquid subjectum esse necesse est; ut in exemplo allato homo subjectum est, de quo tum eruditum esse tum ineruditum esse praedicatur.

Cf. ad haec ib. *διωρισμένων δὲ τούτων τοῦτο ἐστὶ λαβεῖν, ἐάν τις ἐπιβλέψῃ, ὥσπερ λέγομεν, ὅτι δεῖ τι ἀεὶ ὑποκεῖσθαι τὸ γιγνόμενον καὶ τοῦτο, εἰ καὶ ἀριθμῷ ἐστιν ἕν, ἀλλ' εἴδει γε οὐχ ἕν· τὸ γὰρ εἴδει λέγω καὶ λόγῳ ταὐτόν· οὐ γὰρ ταὐτὸν τὸ ἀνθρώπῳ καὶ ἀμούσῳ εἶναι. ἔστι δὲ τὸ ὑποκείμενον ἀριθμῷ μὲν ἕν, εἴδει δὲ δύο· ὁ μὲν γὰρ ἄνθρωπος καὶ ὁ χρυσὸς καὶ ὅλως ἡ ὕλη ἀριθμητή· τό δε γὰρ τι μᾶλλον καὶ οὐ κατὰ συμβεβηκὸς ἐξ αὐτοῦ γίγνεται τὸ γιγνόμενον· ἡ δέ στέρησις καὶ ἡ ἐναντίωσις συμβεβηκός· ἓν δὲ τὸ εἶδος, οἷον ἡ τάξις ἡ μουσική ἢ τῶν ἄλλων τι οὕτω κατηγορουμένων.*

Philosophus ad discrimen jam a nobis commemoratum redit, quod subjectum numero neque notione idem esse debet. Quodcunque numero unum dicitur, id notione diversum esse potest; ut hominem esse et ineruditum esse notione valde differt.

Subjectum generationis, quamvis numero sit unum (id est substantia sit unum), duo tamen notione amplecti posse dicitur. Aristoteles materiam ex materia simpliciter et negatione formae compositam esse dicit; quae materiae ut proprietas insit (*συμβεβηκός*). Sic de homine, auro, omnino de subjecto (*ὕλη*) multa praedicari possunt (id enim significat *ὕλη ἀριθμητή*). Quod necessarium est, quoniam generationis absolutae, neque ejus, quae per accidens fit, leges respicimus.

Quid autem sit „notione unum“ et jam supra diximus et ex ipsius philosophi exemplo elucet, musicae, cujus leges nullo modo ab essentia vel notione substantiali alienae esse possunt.

His positis, facile jam fit, ut generationis possibilitatem explicemus. Aristoteles omnem generationem ex iis fieri dicit, quae neque sunt neque vero non sunt, id est, quae potentia sunt. Ut in singulis rebus materiam et formam discernimus, ita materia et forma primariae conditiones, ut res generetur, censendae sunt.

Materia (*τὸ πρῶτον ἑκάστῳ ἐνυπάρχον ἀῤῥυθμητόν*), priusquam forma ad eam accedat, potentia (*δυνάμει*) existere dicitur. Per *δύναμιν* hoc sensu philosophus id intelligit, quod ad rei conditiones pertinet, quatenus ante rem in natura exstant. (cf. Trendelenburg ad an 299).

Itaque quum materia sit quasi conditio sine qua non, qua forma ad res singulas gignendas indigere non possit, aptissime *δυνάμει* esse dicitur, ac quum quidquid potentia existit, ad nullam certam ac definitam existendi rationem pervenerit, omni modo indefinitum dicendum est. Cf. ad haec met. 1007 b. 28 *τὸ γὰρ δυνάμει ὂν καὶ μὴ ἐντελεχείᾳ, τὸ δ' ἀόριστόν ἐστι.* 1050 b. 10. *τὸ ἄρα δυνατὸν ἐνδέχεται καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι τὸ αὐτὸ ἄρα δυνατὸν καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι.*

Itaque quum materiam et existere et non existere posse concedatur, forma requiritur, quae materiae ambiguitatem expellat eamque ad certum existendi modum perducat. cf. ph. II 1. § 11. *τὸ γὰρ δυνάμει σὰρξ ἢ ὀστοῦν οὔτ' ἔχει πω τὴν ἑαυτὴν φύσιν, πρὶν ἂν λάβῃ τὸ εἶδος τὸ κατὰ τὸν λόγον, ὃ ὁριζόμενοι λέγομεν τί ἐστι σὰρξ ἢ ὀστοῦν οὔτε φύσει ἐστίν.* Caro vel os non prius suam naturam habere dicitur, quam notionem substantialem acceperit (*τὸ εἶδος τὸ κατὰ λόγον*

significare notionem substantialem rei, et ex iis intelligitur, quae Bonitz ad Z 4 pag. 308 adnotavit, et ipsius philosophi ex verbis elucet, quod *τὸ τί ἐστὶ* ex determinatione *τοῦ εἶδος τοῦ κ. τ. λ.* constitui dicit).

Materia autem, quae forma demum explicatur, ubi cum ea conjuncta est, et necessitatis et fortuiti cujusdam principium existimandum est.

Altera enim ratione, quum forma ad materiam ita restricta sit, ut potentiam materiae inhaerentem ad suos fines assequendos adhibere neque vero eam excedere possit, ex materia necessitas illa fluit, quam philosophus simpliciter necessitatem appellat; altera quum ipsa ad nullam certam existendi rationem bəratur, principium fortuiti existit.

His expositis, formam non minus, quam materiam ad res gignendas requiri apparet; sed ut ea, quae actu sunt, iis quae potentia, praestantiora sunt, forma pro praestantiore principio existimanda est.

Quod discrimine illo, quod Aristoteles inter necessitatem simpliciter et necessitatem ex hypothesi statuit maxime perspicuum fit. Itaque ad haec necessitatis genera nobis jam redeundum est. Ad quae necessitatis genera intelligenda cf. de an. p. II. 11. *ἐνδέχεται τὸ αὐτὸ καὶ ἕνεκά τινος εἶναι καὶ ἐξ ἀνάγκης ἡ μὲν γὰρ ἕνεκά του ποιεῖ φύσις ἡ δὲ ἐξ ἀνάγκης· ἡ δ' ἀνάγκη διττή. ἡ μὲν γὰρ κατὰ τὴν φύσιν καὶ τὴν ὁρμήν· ἡ δὲ βίαια καὶ παρὰ τὴν ὁρμήν.* Aristoteles hic ea necessaria distinguit, quae propter finem fiunt, ab iis, quae simpliciter necessaria sunt. Quamvis enim hoc necessitatis genus ipsum duplex sit, tamen discrimen, quod in eo ipso statuit, non magnum esse videtur, quum et necessitatem *κατὰ τὴν ὁρμήν* eamque, *παρὰ τὴν ὁρμήν* uno nomine necessitatis *ἐξ ἀνάγκης* amplectatur.

Neque hac in re errare videatur, quum necessarium *κατὰ τὴν ὁρμὴν* ad eas res pertinere alio loco doceamur, quae tamquam qualitates rebus insint; ut ignis est semper in altum ferri; necessarium autem *παρὰ τὴν ὁρμὴν* tum conspicitur, quum tales qualitates necessitate rebus inhaerentes, concursu facto, ipsi naturae impetui impugnant; veluti lapis in aerem missus huic necessitati exemplo sit.

Quod Aristoteles huic necessitati e materia proficiscenti aliquantum in natura concessit, planum fit ex phys. I. 8. § 15.

*ἢ γὰρ ἁπλῶς ἔχειν δεῖ τὸ φύσει καὶ οὐχ ὁτὲ μὲν οὕτως, ὁτὲ δὲ ἄλλως (οἷον τὸ πῦρ ἄνω φύσει φέρεται καὶ οὐχ ὁτὲ μέν, ὁτὲ δὲ οὔ).* In his vero Aristoteles magis vim illam elementis innatam respexisse videtur, quam ipsis elementis absolutam tribuisse, namque in natura est ordo aeternus (*οὐδὲν γὰρ ἄτακτον τῶν φύσει καὶ κατὰ φύσιν*), elementa autem, quae frigore et calore solvantur, non immutabilia sunt.

Finalis causa, quamquam hac materiae inhaerenti necessitate indigere non potest, tamen superat eamque ad suas res perficiendas usurpat. cf. ph. II. 9. § 2. *ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσιν, ἐν ὅσοις τὸ ἕνεκά του ἐστίν, οὐκ ἄνευ μὲν τῶν ἀναγκαίαν ἐχόντων τὴν φύσιν, οὐ μέντοι γε διὰ ταῦτα, ἀλλ' ἢ ὡς ὕλην, ἀλλ' ἕνεκά του: οἷον διὰ τί ὁ πρίων, ὅπως τοδὶ καὶ ἕνεκα τουδί· τοῦτο μέντοι τὸ οὗ ἕνεκα ἀδύνατον γένεσθαι, ἂν μὴ σιδηροῦς ᾖ; ἀνάγκη ἄρα σιδηροῦν εἶναι, εἰ πρίων ἔστι καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ· ἐξ ὑποθέσεως οὖν τὸ ἀναγκαῖον, ἀλλ' οὐχ ὡς τέλος· ἐν γὰρ τῇ ὕλῃ τὸ ἀναγκαῖον τὸ δ' οὗ ἕνεκα ἐν τῷ λόγῳ.*

In quibuscunque finis notio conspicitur, ea necessitate rebus innata indigent; ut fini inserviat (*ἀλλ' ἢ ὡς ὕλην, ἀλλ' ἕνεκά του*). Veluti si quis serram fabricari vult, quae ad res duras caedendas facta esse debet, fieri non potest, ut, quod ei in animo est, perficiat, nisi apta materia ei se offert. Sic ut serra fiat, ferrum requiritur, ad opus serrae perficiendum aptissimum.

Quodsi autem materia fini alicui subjecta est, necessitas, quae materiae inest, propter finem esse videtur; quam ob rem necessarium ex hypothesi appellatur, quod, ut illud in materia, ita in notione rei efficitur.

Qua ratione, quaecunque fini cuidam inserviunt, cohaereant, Aristoteles domus aedificandae exemplo illustrat, ad quam tum lapides et cetera materia requiritur. cf. ph. II. 9. § 4. *ὥστε εἰ ἔσται οἰκία, ταῦτα ἀνάγκη γενέσθαι, ἢ ὑπάρχειν, ἢ εἶναι. ἢ ὅλως τὴν ὕλην αὐτὴν ἕνεκά του· οἷον λίθους καὶ πλίνθους, εἰ οἰκία.*

Tum vero lapides, lignum cetera nacti finem nostrum non assequemur, nisi alia ut opifices nobis se praebent. Sic fit, ut a primo fine, quem res postulabat, ad alterum descendere cogamur, donec omnia ad finem explendum parata sint.

Maxime causae finalis vis in natura, velut animalibus et plantis cernitur, namque animalium partes tam mira congruentia facta sunt ut finis notione in ea explicanda opus sit. Ut animal vivat, respiratio et nutrimentum tam necessaria sunt, ut, iis sublatis, omne animal tolleretur. Quod ne fiat, natura, priusquam animal generetur, finis notione cavere videtur. Neque magis in animalibus, quam in anima nostra finis cernitur.

Animae enim et humanae et ceterorum animalium eam vim tribuit philosophus, ut quaecunque corpori potentia insita sunt, ad perfectionem et actum perducat cf. de an. II. 1. § 7. *εἰ δέ τι κοινὸν ἐπὶ πάσης ψυχῆς δεῖ λέγειν, εἴη ἂν ἡ πρώτη ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ.*

Anima quasi finis esse censetur, qui nascens corpus praecedit et ita dirigit, ut finem animae inhaerentem assequatur. (cf. d. an. II. 1. § 4. *ἀναγκαῖον ἄρα τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι, ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος*).

Anima corpore tantum propterea indigere non potest, quod, quae ejus notione insint, corpore exprimuntur, qua re corpus cum anima collatum *τὸ ἐξ ὑποθέσεως ἀναγκαῖον* appellatur cf. ib. *οὐ τὸ σῶμά ἐστιν ἐντελέχεια ψυχῆς, ἀλλ' αὕτη σώματός τινος, οἷς δοκεῖ μή τε ἄνευ σώματος εἶναι μὴ τε σῶμά τι.*

Aristoteles, quum finem tantum ad res singulas creandas valere censeret, ut ejus notionem etiam ab omni materiae admistione immunem materialis rei cujusque praestantissimum fontem statueret, et expressionibus *τὸ εὖ, τὸ ἀγαθὸν τὸ ἄριστον* significavit, per finem optimum cujusque rei statum intelligendum esse.

Postquam hac ratione, quam vim Aristoteles fini tribuerit, explicavimus, id restat, ut quomodo fortuitum ex eo pendeat, aut num omnino fortuitum nobis statuendum sit, quaeramus. Namque plerique priorum philosophorum incertis opinionibus de fortuito fluctuabant, alii fortuitum principiis naturae adnumerantes, alii id e rerum natura plane tollentes.

Aristoteles, qui primus fortuiti quaestionem instituit (cf. phys. II. 4. *ἐπεὶ εἴ γέ τι ἦν ἡ τύχη, ἄτοπον ἂν φανείη, ὡς ἀληθῶς, διὰ τί οὐδεὶς τῶν ἀρχαιῶν σοφῶν τὰ αἴτια περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς λέγων περὶ τύχης οὐδὲν διώρισεν, ἀλλ' ὡς ἔοικεν οὐδὲν ᾤοντο οὐδ' ἐκεῖνοι εἶναι ἀπὸ τύχης*), forte fieri ea docet, quae praeter ea accidunt, quae semper aut ple-

rumque fiunt. Sed hac negatione, fortuitum non ad scientiam cadere, fortuitum, quid sit, non satis explicetur. Id vero nemo negaverit, quidquid fit, ex causa determinata pendere. Ipsum exemplum fortuiti, quod Aristoteles affert, hanc sententiam confirmat: cf. ph. II. 4. § 2. *οὐδὲν γὰρ γίνεσθαι ἀπὸ τύχης φασὶν, ἀλλα πάντων εἶναί τι αἴτιον ὡρισμένον ὅσα λέγομεν ἀπὸ ταὐτομάτου γίνεσθαι ἢ τύχης, οἷον τοῦ ἐλθεῖν ἀπὸ τύχης εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ καταλαβεῖν, ὃν ἐβούλετο μὲν, οὐκ ᾤετο δέ; αἴτιον τὸ βούλεύεσθαι ἀγοράσαι ἐλθόντα.*

Si igitur fortuitum non omnino tolles, causam ei tribues, quae ab aliis ita differat, ut fortuitum efficiat. Praeter quatuor autem causas, quas diximus, alia quidem statui non potest, sed de unaquaque earum quaeri potest, num sit *κατὰ συμβεβηκὸς* necne. Quod, quid significet, jam supra exposuimus. In his causis accidentalibus omne fortuitum cerni constat. Cujus rei exemplum philosophus affert, quod jam supra commemoravimus. Si quis domo exierit, ut aliquam rem emat, ignarus tamen est, num ad illum finem perventurus sit. Nam pone, eum ad locum, quem eligebat, pervenisse et rem, quam optaverat, repperisse. Simul autem fit, ut amicum inveniat, qui praeter opinionem ei se offerebat. Sic facile accidit, ut finem, cujus causa venerat, id est emtionem illius rei relinquat, ut amici causa venisse videatur, cui se obviam facturum esse ne speraverat quidem. In his et fortuitum et *τὸ κατὰ συμβεβηκὸς* cernitur cf. ph. II. 5. § 2—3. *ἔστι δ᾽ ἕνεκά του, ὅσα ἀπὸ διανοίας ἂν πραχθείη καὶ ὅσα ἀπὸ φύσεως, ὥςπερ γὰρ καὶ ὂν ἔστι, τὸ μὲν καθ᾽ αὑτὸ, τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκός, οὕτω καὶ αἴτιον ἐνδέχεται εἶναι, οἷον οἰκίας καθ᾽ αὑτὸ μὲν αἴτιον τὸ οἰκοδομικόν, κατὰ συμβεβηκὸς δὲ τὸ λευκὸν ἢ τὸ μουσικόν· τὸ μὲν καθ᾽ αὑτό αἴτιον ὡρισμένον, τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκὸς ἀόριστον· ἄπειρα γὰρ ἂν τῷ ἑνὶ συμβαίη: καθάπερ οὖν ἐλέχθη ὅταν ἐν τοῖς ἕνεκά του γιγνομένοις τοῦτο γένηται, τότε λέγεται ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ τύχης.*

In his igitur philosophus ad discrimen illud, quod inter causas absolutas et accidentes statuit, reversus, ea accidentia fortuita appellat, quae in iis accidunt, quae propter finem quendam fiunt. Ut res unaquaeque infinitas qualitates accipere potest, quae ab ejus essentia plane alienae sunt, ita talia accidentia inter nexum causarum, quae ex fine pen-

dent intercedere itaque fortuitorum, quae vocantur, causae fieri possunt.

Pro his, quae diximus, illorum sententia aestimanda est, qui pleraque forte exorta esse dicebant. Qui causas accidentales causis absolutas priores esse existimaverunt. Sed quibus contradictionibus talium sententiarum propugnatores implicarentur, id jam supra in *συμβεβηκότος* vocis explicatione demonstravimus; quum enim *συμβεβηκότος* vis ipsa sit talis, ut re, de qua praedicetur, indigere non possit, imo vero sine qua nihil significet; id jam pro certo nobis habendum est, quaecunque forte fiunt, iis posteriora esse, quae natura vel animo perficiuntur. cf. ph. II. 6. § 10. *ἐπεὶ δ' ἔστι τὸ αὐτόματον καὶ ἡ τύχη αἴτια, ὧν ἂν ἢ νοῦς γένοιτο αἴτιος ἢ φύσις, ὅταν κατὰ συμβεβηκὸς αἴτιόν τι γένηται τούτων αὐτῶν, οὐδὲν δὲ κατὰ συμβεβηκός ἐστι πρότερον τῶν καθ' αὑτό, δῆλον, ὅτι οὐδὲ τὸ κατὰ συμβεβηκὸς αἴτιον πρότερον τοῦ καθ' αὑτό.* § 11. *ὕστερον ἄρα τὸ αὐτόματον καὶ ἡ τύχη καὶ νοῦ καὶ φύσεως· ὥςτε εἰ ὅτι μάλιστα τοῦ οὐρανοῦ αἴτιον, ἀνάγκη πρότερον νοῦν αἴτιον καὶ φύσιν εἶναι καὶ ἄλλων πολλῶν καὶ τοῦδε παντός.*

Aristoteles hoc loco, quod jam diximus, confirmat, causas accidentes non certum causarum genus constituere, quod iis, quae natura aut consilio aguntur, ita oppositum sit, ut quod forte fit, natura et consilio fieri non possit. Sed ut, quaecunque rei accidunt, et ipsa rei per se inhaerere possunt, sic quidquid forte conflatum est, natura aut consilio fieri potest. Est enim fortuitum nihil nisi causa per accidens (*τὸ κατὰ συμβεβηκὸς αἴτιον*).

Sed quum substantia natura prius sit, quam accidentia, causas absolutas accidentalibus priores esse nemo negaverit. Quam ob rem si quis dixerit, coelum forte constitutum esse, is fortuiti naturam plane non intelliget; qua naturam et mentem et coeli et omnis hujus mundi priorem esse causam docemur, quam fortuitum. Sic domus causa absoluta est ars aedificandi; per accidens autem et musicale et album causae dici possunt, si forte qui eam aedificavit, et albus et musicus fuit.

Aristoteles, quum suam ipsius de fortuito sententiam proferat, priores philosophos castigat, qui fortuitum nulla definitione explicatum in quaestiones philosophicas introduxerint. cf. ph. II. 4. *εἰσὶ δέ τινες, οἳ καὶ τοὐρανοῦ τοῦδε καὶ τῶν*

*κοσμικῶν πάντων αἰτιῶνται τὸ αὐτόματον· ἀπὸ ταὐτομάτου γινεσθαι τὴν δίνην καὶ τὴν κίνησιν τὴν διακρίνασαν καὶ καταστήσασαν εἰς ταύτην τὴν τάξιν τὸ πᾶν.*

Aristoteles hoc loco atomistas significat, qui feriendo et pellendo aeternum motum rerum exortum esse docebant. Sed quum necessitatem ut causam motricem simpliciter ponerent, nulla explicatione addita, quale hoc necessarium sit, Aristoteles eam a fortuito non diversam esse censet. Tum vero miratur, eos, qui tales sententias sequantur, coelum fortuito constitutum esse, contendere; in quo nihil forte fieri vident; quum iidem animalia et plantas forte conflata esse negent; in quibus fortuitum tamen conspiciatur.

Sed omnes talium sententiarum propugnatores ea potissimum re erroribus implicabantur, quod finis notionem aut ignorabant aut negligebant.

Sic Empedocles, fine plane negato, fortuitum omnia creasse et gubernasse contendit. cf. ph. II. 8. § 2. *καὶ τί κωλύει οὕτω καὶ τὰ μέρη ἔχειν ἐν τῇ φύσει, οἷον τοὺς ὀδόνταις ἐξ ἀνάγκης ἀνατεῖλαι, τοὺς μὲν ἐμπροσθίους ὀξεῖς, ἐπιτηδείους πρὸς τὸ διαιρεῖν, τοὺς δὲ γομφίους πλατεῖς καὶ χρησίμοος πρὸς τὸ λεαίνειν τὴν τροφήν· ἐπεὶ οὐ τούτου ἕνεκα γενέσθαι, ἀλλὰ συμπεσεῖν· ὅπου μὲν οὖν ἅπαντα συνέβη, ὥςπερ κἂν εἰ ἕνεκά του ἐγίνετο, ταῦτα μὲν ἐσώθη, ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου συστάντα ἐπιτηδείως, ὅσα δὲ μὴ οὕτως, ἀπώλεται καὶ ἀπόλλυται, ὥςπερ Ἐμπεδοκλῆς λέγει τὰ βουγενῆ καὶ ἀνδρόπρωρα.*

Empedocles igitur, mira partium congruentia, quae in animalibus conspicitur, sibi persuaderi non posse confitetur, quod finis notione animalia constituta sint.

Sed quum fors omnia regeret, maximam animalium partem interiisse; iisque tantum contigisse, ut et vitam conservarent et genus propagarent; quae forte ita conflata essent ut propter finem facta esse viderentur.

Cui sententiae id praecipue obstare Aristoteles animadvertit, quod animalia certis legibus obnoxia videmus, a quibus nunquam fere deflectant. Neque fortuitum in iis cerni potest, quae ad certas normas quasdam dirigantur. Sed quamquam philosophus recte miratur, quod quae forte conflata sint, constantia quadam existendi utantur, tamen Empedoclis doctrinam non satis refutasse videatur. Namque Empedocles maximam

partem animalium forte constitutorum interiisse non negavit. Itaque etiamsi difficile remaneat explicatu, quo modo animalia forte conflata ad certas regulas subito restrictae sint, tamen τὸ ἀεὶ et τὸ ἐπὶ τὸ πολὺ in paucis animalibus quae mortem effugerint cerni non posse, facile intelligitur.

Sed de hac re etiam postea agemus. Jam vero id restat, ut, quo modo philosophus inter casum et contingens distinxerit, perspiciatur. Quod pro duplici ratione fieri videmus, qua finis tum de iis praedicatur, quae natura fiunt, tum de iis, quae consilio aguntur. Quamquam enim non minus in naturalibus, quam in ceteris rebus finis notio conspicitur, tamen discrimen inde oritur, quod res naturales causam motricem ita innatam habent, ut pari semper et continuo motu ad finem assequendum ferantur; ceterae autem res, quae ex voluntate nostra pendent, electionem agendi patiuntur. Namque ad actionem (πρᾶξιν) constituendam non solum appetitu, qui et animalium est, sed etiam intellectu opus est. Omnis actio enim ἐξ προαιρέσεως suspensa est, quam philosophus ὄρεξιν βουλεοτικήν esse dicit id est appetitum consilio administratum.

Qua re in omnibus, quae aguntur, harmonia quaedam existat, necesse est inter ea, quae cogitando probantur et quae agendo efficiuntur.

In his omnis actio posita est. Quo modo autem πρᾶξις a ποιήσει differat cf. Eud. I. 3. 4. τῶν μὲν γὰρ ποιητικῶν ἐστὶ τὸ παρὰ τὴν ποίησιν τέλος, οἷον παρὰ τὴν οἰκοδομικήν, ἐπειδή ἐστιν οἰκίας ποιητική, οἰκία αὐτῆς τὸ τέλος παρὰ τὴν πόιησιν: ὁμόιως δὲ τεκτονικῆς καὶ (τῶν) ἄλλων τῶν ποιητικῶν· ἐπὶ δὲ τῶν πρακτικῶν οὐκ ἔστιν ἄλλο οὐθὲν τέλος παρ᾽ αὐτό· τοῦτο τέλος ἡ ἐνέργεια καὶ ἡ πρᾶξις.

Itaque in poeticis disciplinis finis statuitur praeter id, quod agitur; cujus principium aut mens aut ars est aut habitus quidam; in practicis autem, in quibus nullus finis ponitur praeter id quod agitur, principium est ipsa electio, qua quid nobis faciendum sit, quid fugiendum, mente nostra statuimus. (cf. met. 1025 b. 22. τῶν μὲν γὰρ ποιητικῶν ἐν τῷ ποιοῦντι ἡ ἀρχὴ ἢ νοῦς ἢ τέχνη ἢ δύναμις τις τῶν δὲ πρακτικῶν ἐν τῷ πράττοντι ἡ προαίρεσις). Νοῦς principium poeticarum disciplinarum dicitur; quod omnis νόησις e cognitione id est mentis fine pendet. Quodsi ex cognitione habitus quidam extiterit,

ars appellatur (cf. Eth. III. 4). *Πρᾶξις* in eo potissimum cernitur, qui agit, *ποίησις* in opere perfecto.

Omnis agentis electio inde suspensa est, ut eligendi quoddam spatium concedatur. Itaque quidquid sub actionem cadit et hic et aliter se habere posse, necesse est. Qua re praeteritarum rerum nulla electio datur. cf. Nic. VI. 2. § 6. *οὐκ ἔστι δὴ προαίρετον οὐθὲν γεγονός· οἷον οὐθεὶς προαιρεῖται Ἴλιον πεπορθηκέναι οὐδὲ γὰρ βουλεύεται περὶ τοῦ γεγονότος, ἀλλὰ περὶ τοῦ ἐσομένου καὶ ἐνδεχομένου· τὸ δὲ γεγονὸς οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσθαι.*

Ut nulli jam licet, de Troja eversa eligere quidquam, ita actio ad ea restringitur, quae futura sunt et quae sine ullo timore ponas, ne contradictionibus impliceris (haec enim significant *τὰ ἐνδεχόμενα* cf. Waitz I. p. 376).

Si quis autem electionem fecerit neque, quod inchoaverat, perfecerit, re aliqua intercedente, in his jam casus (*τύχη*) cernitur. Veluti ille, qui emtionis rei causa domo egressus, sed amico obviam factus finem mutavit, casu hoc fecisse dicendus est. Namque causa efficiens et id quod efficiebatur non ita se habent, ut alterum ex altero necessario consequatur vet ut causa efficiens fine effecto contineretur. Nisi enim amicum invenire accidisset, nunquam ex illa causa hic effectur extitisset,

Quoniam autem casus ad eos pertinet, qui agunt, inde et *εὐτυχία* et *δυςτυχία* nomen accipiunt. cf. ph. II. 5. § 9 *τύχη δ' ἀγαθή μὲν λέγεται, ὅταν ἀγαθόν τι ἀποβῇ, φαύλη δὲ, ὅταν φαῦλόν τι, εὐτυχία δὲ καὶ δυςτυχία, ὅταν μέγεθος ἔχοντα ταῦτα: διὸ καὶ τὸ παρὰ μικρὸν κακὸν ἢ ἀγαθὸν μέγα λαβεῖν ἢ δυςτοχεῖν ἢ εὀτυχεῖν ἐστίν, ὅτι ὡς ὑπάρχοντα λέγει ἡ διάνοια· τὸ γὰρ παρὰ μικρὸν ὥςπερ οὐδὲν ἀπέχειν δοκεῖ.*

Si, quidquid casu fit, bonum est, casus et ipse bonus dicitur; et contra, si malum est. Si autem bonum et malum magnitudinem quandum habent, *εὐτυχία* et *δυςτυχία* oriuntur; sed animi, humani proprium est, ut quamvis absit etiam aliquantum a calamitate et felicitate (*εὐτυχία* et *δυςτυχία*); eas jam praesentes imaginetur; confundit enim aliquantum abesse et nihil abesse.

Ad quos vero liberum arbitrium non cadit, ii ne casu quidem facere quidquam dici possunt, nisi hoc comparative de iis praedices; ut de lapidibus fit, ex quibus arae fabricantur.

cf. ph. II. 6. § 3. *ὥςπερ, ἔφη Πρώταρχος, εὐτυχεῖς εἶναι τοὺς λίθους, ἐξ ὧν οἱ βωμοὶ, ὅτι τιμῶνται, οἱ δὲ ὁμόζυγες αὐτῶν καταπατοῦνσαι.* Contingens autem et in rebus naturalibus conspicitur, veluti si tripus in loco aliquo constitutus cadat, evidens est, eum nullo fine cecidisse (quum neque semper neque plerumque cadat), sed *ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου.* Cujus verbi originem ipse Aristoteles explicat cf. ph. II. 6. § 7. *οὕτω δὴ τὸ αὐτόματον καὶ κατὰ τὸ ὄνομα, ὅταν αὐτὸ μάτην γένηται; κατέπεσε γὰρ οὐ τοῦ πατάξαι ἕνεκα ὁ λίθος ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου ἄρα κατέπεσεν ὁ λίθος, ὅτι πέσοι ἂν ὑπό τινος καὶ τοῦ πατάξαι ἕνεκα.*

Si lapis cadat et hominem vulneret, id *ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου* appellatur. Nisi enim hoc forte accidisset, vulneratio finis cadendi esse deberet. Itaque quum haec ita non sint *τὸ αὐτὸ μάτην* dicitur id est finem, qui rei propositus erat, frustrari comperimus.

Aristoteles quum omnem naturam finis notione quasi animatam esse censeret, ea tantum ab ea gignenda esse putavit, quae fini alicui inservirent.

Itaque eum boni oeconomi simillimum esse discit, cui id agendum est, ne quidquam ex iis intereat, quae ad utilitatem suam conferri possint. (cf. de gen. an. *ὥςπερ οἰκόνομος ἀγαθὸς καὶ ἡ φύσις οὐθὲν ἀποβάλλειν εἴωθεν, ἐξ ὧν ἐστὶ ποιῆσαι χρηστὸν*). Ubicunque natura a finis notione tamquam a scopo cujusque rei aberrat; abortus oriuntur, in quibus contingens dignosci potest. Ut medicus nonnunquam errat, qui aegrotanti potionem non recte porrexit, ita in natura abortus (*τὰ τέρατα*) testimonio sunt, quod in principiis defectus aliquid inerat (cf. ph. II. 8. § 8).

Contingens igitur, quum et res naturales amplectatur et eas, in quibus casus positum est, fortuiti genus constituit. Animalia, plantae, (in quibus finis notio per membra et artus minus distinguitur *διηρθροῦται* cf. ib.), omnia denique, quae finis notionem adhibent, et contingens admittunt.

## § III.

Jam in fine quaestionis nostrae restat, ut, quid philosophus finis ai fortuiti definitione profecisse nobis videatur, explicemus

Qua in re id quidem a nobis praetermitti potest, quod

inter omnes satis constat, Aristotelem primum rerum et essentiam et existentiam accuratius, quam ullum priorum philosophorum definiisse. Neque minus notum est, eum varietatem rerum, quam videmus, ad certarum legum unitatem redigisse, quamvis et ipsi Aristoteli non contigerit, ut formam et materiam primariam rerum unitatem esse demonstraret.

Quum autem id agatur, ut Aristoteles definitionem fortuiti veram esse comprobemus, finis notionem, ex qua illa pendet, ad res naturales explicandas necessario requiri, nobis demonstrandum esset, nisi ipse Aristoteles finis notionem jam satis stabiliisse nobis videatur; quippe qui animalium structuram talem esse ostenderit, ut ea, nisi, fine concesso, nullo modo intelligi possit.

Cujus sententiae, qui maxime extitit adversarius, Empedoclem difficilius sit refutare, quod infinitati hujus mundi, infinitatem longe superiorem, si ita dicere licet, rerum praeteritarum, quarum nulla ad nos pervenit scientia, opponere non dubitat. Sic omnem quaestionem in campum vocat, quo nescio an nemo sequi eum audeat.

Si nobis autem satis est, ut in rebus, quae in conspectum nostrum cadunt, acquiescamus, facere non possumus, quin Aristoteli assentiamus; quod et Trendelenburgius comprobat, qui in fine statuendo praecipue duo non negligenda esse censet. cf. Disq. log. II. 27. Denn ohne dass sie eine Gemeinschaft hatten, traten sie plötzlich und zwar nicht, indem sie werden, sondern nachdem sie geworden sind in die innigste Gemeinschaft. ib. 65. Die unendlich wachsende Wahrscheinlichkeit kommt der Unmöglichkeit gleich.

Tum id premit, quod etiamsi fortuito magnam vim tribuas, te tantam ei tribuere non posse, qua perspicuum fiat, quo modo membra corporis eodem tempore nata ita facta esse possint, ut alterum alterius causa factum esse videatur.

Tum vero, si ponis, quaecunque sunt, forte exorta esse, alio elemento ali se adjungente, ut fors ferebat; ex spontaneo rerum concursu ordinem hujus mundi factum esse, omnem imaginationem excedit, ut merito is impossibilia narrare videatur, qui literas in unum conjectas librum effecisse confirmaverit.

Itaque quum, fine negato, nos et physicarum disciplinarum non satis lucidam explanationem facere possimus; Aristoteles

sententiam jam sequamur; qua omne fortuitum, quatenus a finis notione alienum est, a nobis rejicitur; id fortuitum vero, quod ex materiae ambiguitate proficiscens fini obnoxium est, non solum non negatur, imo vero ponitur.

Si autem respicimus, quid post Aristotelem de ejus finis et fortuiti explicatione philosophi senserint, tum demum perspicuum fit, quantum profecerit. Mox Stoici omni inter causas absolutas et accidentis discrimine sublato, quaecunque fiant, infinito causarum nexu contineri itaque ex necessitate fieri dicebant.

Quoniam enim philosophus causas accidentes indefinitas esse numero primus detexit, Stoici multitudinem causarum, quae ad unam rem constituendam confluerent, tantum esse docuerunt, ut nisi ad fati necessitatem ad ullam unitatem redigi non possint. Sic, quum, fortuito sublato; omnia necessaria esse putarent, in eos ipsos errores inciderunt, a quibus Aristoteles nos revocat (cf. de interp. IX.) cf. Cicero de fato VII. 12. Si quis verbi causa oriente canicula natus est, is in mari non morietur, sive quod idem est, si Fabius oriente canicula natus est, Fabius in mari non morietur, pugnant igitur haec duo inter se, Fabium oriente canicula natum esse et Fabium in mari moriturum esse et, quoniam certum in Fabio ponitur, natum eum esse canicula oriente, et esse Fabium et in mari moriturum esse.

Cujus certaminis omne genus ad ea refertur, quae Aristoteli de logica verum enuntiatione dicit. Satis loco illo, quem diximus, nos admonet, ne logica enuntiatione res tolli aut poni credamus, exemplo allato enuntiationum contradictorie sibi oppositarum.

Sed Stoici, Aristotelis doctrina rejecta necessitatem absolutam omnibus rebus imposuerunt, ut nihil fieri posse crederent, quod non jam sexcentis annis ante in nexu causarum fuisset determinatum. Sic si cras pugna navalis erit, necessitate antiquitus hoc fuit destinatum.

Tamen si quis accuratius animadverterit, qualis haec necessitas a Stoicis statuta sit; is eam obscuram et coecam quasi vim esse inveniet, cujus nulla satis plana ratio reddi possit; ut et fatum et fortuitum mera nomina esse censeas, quae ad res accuratius perspiciendas nihil afferant.

Quod maxime in rebus, quae ex voluntate nostra pendent; evidens fit; quam ob rem Epicuraei quidem ad tales res necessitatem illam pertinere negaverunt.

Jam vero hos mittimus; recentiore philosophiae aetate Spinoza gravissimus Aristoteles teleologiae extitit infitiator, ut elicias ex eth. I. pr. 26. app. „Hoc tamen adhuc addam nempe, hanc de fine doctrinam naturam omnem evertere. Nam id quod re vera causa est, ut effectum considerat et contra; deinde id quod natura prius est, facit posterius et denique id quod supremum et perfectissimum est, reddit imperfectissimum."

Quibus Spinoza finem in natura evertere studet, haec fere sunt: quoniam, quaecunque sunt, respectu et existentiae et essentiae a deo fluunt, eae res praestantiores habendae sunt quae a deo immediate producuntur. Sed fine concesso, res ultimae, propter quas priores factae sunt, praestantiores esse debent.

Tum vero finis notio et propterea nobis improbanda est, quod perfectionem dei tollit; qui enim propter finem agit, is profecto re indiget, qua ipsius natura expleatur.

Sed hae objectiones, ut ex dei notione minime plana proficiscuntur, ita nullo modo Aristotelis doctrinam evertere possunt.

Quodsi statuis, finem naturae divinae innatum esse neque scopum externum, qui expetatur, finis notio dei perfectioni nulla ratione obstat. Nosque jam propterea Aristotelis sententiam sequi profitemur, quod teleologia ejus ad organicorum animalium existentiam explicandam requiritur; quae causalitatis lege sola statuta, mechanicarum machinarum haud dissimiles essent.

Id vero Spinozae concesserim quod notionem finalem menti humanae ita impressam esse dicit, ut homo nonnunquam ea ductus opinionibus falsis et vanis implicetur; ut homines morbos, tempestates alia propterea evenire censerent, quod dii ob injurias ab hominibus sibi illatas irati sint. Qua in re id quidem concedatur, neque nos finis notione consilia providentiae explorare posse; neque propter errores humanos finem plane repiciendum esse.

Kantius, quum omnes de mundi generatione sententias rursus examinaret, optime de philosophia meruit, quod nullam

rem absolute necessariam existere nos docuit. Qua doctrina quid Aristoteles de fine et fortuito statuerit, optime comprobatur.

Nam quum mens humana eo circulo semper moveatur, ut ens necessarium (sc. respectu existentiae) probatura ad res fortuitas reverti cogatur, necesse est, ut in errores incidere evitemus, intra peritiam consistere in qua finis et fortuiti notione nos indigere non possumus.

Quod et Kantius non negavit, sed, quum unitatem essendi et cogitandi tollendam esse existimaret, teleologiam non agnoscit, nisi eam pro regulativo rationis principio ponis. Ut Spinoza causam finalem defectum intellectus nostri esse censuit, qua multarum rerum veram naturam cognoscere prohibemur; Kantius eam necessariam esse putavit, ut multas res unitate quadam comprehendere id est ut scientiam nostram augere possimus. Tum vero, quum Aristoteles finem in iis tantum esse crederet, quae moventur; Kantius longius procedens et mathematicas disciplinas finis notioni subjectas esse censuit; et ea fini inservire ostendit, quae nobis nocere videntur.

Sic fit, ut jam per totum mundum vel certe, quatenus intellectus noster patet, finis notio emergat; ac prout finis in poeticis et practicis disciplinis diversa ratione conspicitur, materia et voluntas fortuiti fontes existunt.

# Vita Scriptoris.

Natus sum Fredericus Arminius Gustavus Heyne a. d. XII. Kal. Martias MDCCCLV Brombergii, in urbe provinciae Posnaniae, patre Frederico Heyne tum magistro civium, matre Ernstine, e gente Stuermer. Patrem mihi puero undecim annorum ereptum esse valde lugeo. Litterarum elementis in schola, in qua literae docentur, quae ad vitae usum pertinent, imbutus sum. Duodecim annos natus gymnasium Brombergense adii, quod etiamnunc auspiciis Deinhardtii floret. Ibi disciplina Deinhardtii, Bredae, Fechneri, Hoffmanni, Heffteri aliorumque usus sum, quorum semper gratam memoriam retinebo.

Anno MDCCCLXII testimonio maturitatis instructus Berlinum me contuli, studiis mathematicorum et novarum linguarum operam daturus. Civibus universitatis Fridericae Guilelmae adscriptus, Rectore magnifico Magno, scholis interfui virorum clarissimorum Trendelenburgii Boppii, Muellenhoffii, Kummeri, Sollyi, aliorum, Exercitationibus philosophicis Trendelenburgii, theodiscis Muellenhoffii per duo semestria interfui. Denique per tria semestria sodalis fui extraordinarius seminarii, quod adhuc Herrigii professoris auspiciis floret.

Jam hac occasione oblata facere non possum, quin omnibus his viris gratias agam quam maximas.

# SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Teleologiam Aristotelis a nullo posteriorum philosophorum satis refutatam esse contendo.

II. Spinoza ethicorum nullum satis firmum fundamentum posuit.

III. Contra Kantium contendo, mathematica continere non solum synthetica, sed etiam analytica judicia.

IV. Quidquid Holtzmannius de codicum quae de Nibelungiade extant, vetustate disseruit, nulla ratione Lachmannium refutat.